BELLUS HOMO

ET

ACADEMICUS.

RECITARUNT IN

Theatro *Sheldoniano*

APUD

COMITIA *OXONIENSIA*

MDCCXXXIII,

LODOVICUS LANGTON,
ET
THOMAS BABER,
} Collegii Div. *Magd.* Commensales.

ACCEDIT

ORATIO

Petri Francisci Courayer, S. T. P.

HABITA IN

IISDEM COMITIIS,

Quint. Id. Julii.

LONDINI,

Prostant venales, apud J. WILFORD, ad Insignia *Trium Iridum Auratarum* pone *Capitulum Paulinum*. MDCCXXXIII.

Pret. 1*s*.

BRITISH MUSEUM

BELLUS HOMO
ET
ACADEMICUS.

BELLUS.

USQUE adeò insano juvat indulgere labori ?
Quin, age, mitte logos cassos, nugasque Scholarum;
Exue Philosophum, tetricamque exponito frontem.

ACAD.

Hem, mihin' hæc ? Studiis quis garrulus obstrepit Hospes ?
O faciem agnosco —— Charissime *Cottile*, salve.
Sed cute tam nitidâ, incessuque habituque decorus,
Tam lepido talos à vertice Bellus ad imos,
Unde redis ?

BELL.

Lustravi orbis, dulcissime rerum,
Omne latus, mores hominum speculatus & urbes,
Quà Tagus auricomas effert super æthera turres
Et Cycladas rapido Ganges interluit æstu;
Nec, bene si novi me, callet acutior ullus
Flumina terrarumque situs.

ACAD.

Fortasse, Puellis
Judicibus, queis ficta placent miracula rerum:
Parciùs ista Togæ tamen obtrudenda memento.

BELL.

Sin plaudant mihi Cirrati, laudetque lepores
Turba Puellaris, Pulli gregis invida ſanna
Vellicet, atque iſtud naſutum ſcomma Sophorum:
Hoc juvat & melli eſt.

ACAD.

Sed, dic age, Quid tibi viſa
Gallia, quid Latium potius memorabile pandit,
Artis amans nutrixque? Quid Æra & Marmora cenſes,
Heroum Monumenta, Triumphaleſque Columnas,
Picturas, Pluteoſque, antiquæ laudis & artis?

BELL.

Scilicet Armigeris vacat explorare vetuſta
Rudera, deciduaſque artes! Ea cura fatigat
Quos non res anguſta vetat, non Tutor iniquus,
Pelliculam curare, meri ſomnique benignos.
Multa Italûm fateor non inconcinna videbam,
Quæ nitida artiſque oſtentant ſimulacra recentis.
Sed recolo indignans curtæ quæ frivola mercis,
Dimidias ſtatuas, & priſca numiſmata, jactant:
Effigiem ante alias, oculis naſoque carentem,
Si memini bene, CÆSAREAM ——
Delicias Domini, quam verò, ærugine putri
Squalentem, peream ſi forcipe ſeſquipedali
Attigerim.

ACAD.

Et quæ tanta Italos tibi cauſa videndi,
Cui veneranda vetuſtatis miracula ſordent?

BELL.

BELL.

Ridiculæ potiùs nugæ, ſed non adeò omnis
Effuſus labor eſt, nec me mea cura fefellit.
Quæ ſola in votis fuerant, juveneſque politos,
Invitare ſolent delectamenta, canoris
Fabellis Italûm Larvatorumque choreïs
Intereram.

ACAD.

Egregiuſque adeò pro Judice morum
Formarum ſpectator adeſt!

BELL.

Ibi membra movere
Molliùs, invideatque quod HANDELII concentus,
Edidici, varia argutæ modulamina vocis.
Sed me præ reliquis dulci novitate tenebat
Gallia, gnara dapum, & cultûs fœcunda politi.
O mores lepidos, luſus, cœnaſque Deorum!
Suaviter hìc Talis, Cyathis, Choreiſque vacanti
O quàm blanda mihi, quàm mellea defluit ætas!
Concinno hinc tunicam ſectus de more, repexi
Hinc refluas de fronte comas, hinc totus ad unguem
Factus homo, Nymphas inter molli eliquo voce
Verſiculum fòrs dimidium, argutumve leporem.
Muneris & totum eſt veſtrî, ornatiſſima tellus,
Quòd placeam, & certum eſt me perplacuiſſe Puellis;
Quòd me depereant, quas expugnare decenni
Obſidio vobis haud conceſſere Camœnæ,
Haud Logicæ technæ, nodoſæ haud illius artes——
Quis fuit? O teneo Nomen——Py—Pythagogoræ.

ACAD.

Pulcrum operæ pretium! poſt tædia longa viarum.
Exhauſtoſque maris caſus, multâ induis arte
Quicquid ridendum eſt, aptus conviva Puellis;
Pollicitus meliora tuis: non iſte Solonem
Impulit aut Ciceronem animus, veneranda Sophorum
Lumina, natales mutare, alioque calentes
Sole ſequi terras; exculto hinc Roma ſuperbit
Eloquio pollens; hinc exornantur Athenæ;
Moribus hinc vitæ præcepta haurire nepotum
Sæcla ſcient ventura.

BELL.

Satis fortaſſis Athenis
Arridere iſti poterant, rigidove popello
Romulidûm, nec noſtrî adeò ſum fautor ineptus
Ut non hoc fatear; ſed diſpereat malè totus
Grex veterum, redeant omnes licèt, horridus Ordo,
Futile neſcio quid ructans, nugaſque ſonoras,
Emoriar ſi, natus ego melioribus annis,
Tantilli digitos inter pulviſculi haberem.
Barbatos pueros, quos Ruſticus audiat iſte,
Quem non expoliit Pariſinæ lima Palæſtræ,
Exemplar morum!

ACAD.

Vitiis imitabile quantis,
Ingenioſum adeò pubem elimare ſequacem,
Ut præter rutilas, fragmenta exilia, nugas
Nil ſuperet! Bene me finxit Natura puſilli
Exiguique animi, vanam averſantis opellam

Stultitiæ ingenuæ. Sin garrulitate procaci,
Ridiculè lepido inceſſu, panniſque venuſtis,
Captarem plauſus inhiantiſque ora popelli,
En mihi, mutato cœlo quod tu petis, hîc eſt:
Eſt ubicunque ſalit reſilitque in ſune trementi
Schœnobates; ſeu geſticulans manibus pedibuſque
Laſcivit variè Puparum mobile lignum,
Non ſua verba loquens. Quin partâ laude fruaris
Egregius fatuus; potius me ſub Lare parvo
Occluſum, & ſtudiis florentem nobilis otî,
Purè tranquillet fallentis ſemita vitæ.

BELL.

Non equidem invideo; at Juvenum deliria miror,
Parca utcunque animis Natura indulſerit ignem,
Quos non alloquio ſociiſque carere cululis
Pœnitet, aſſiduiſque ſuper palleſcere chartis,
Indicto ventri bello, niſi dente fatigant
Unguem avido arroſum, miſeros extundere verſus
Soliciti. — Et quorſum hæc molimina? nempe ſeneſcit
Grex miſer in curis, ſtatuâ taciturnior ipsâ,
Ludibrium populi aut fallit, ſine laude lateſcens,
Indocilis rerum, niſi quas anguſta repandit
Clauſtra Laris proprii.

ACAD.

At generoſos parce procaci
Scommate non æquus Cenſor perſtringere mores.
Non magis his aliena malis, aut purior uſquam
Vita agitur; ſtudiis curæ eſt ante omnia mentem
Excolere ingenuis; ſed non ita totus in hoc ſum,

Quin

Quin vacet alternæ ad libitum indulgere quieti,
Seu placeat ſylvas inter reptare ſalubres,
Seu modicos inter cyathos humeſcere, mulcenſque
Innocuo luſu, aut lepido ſermone ſodales
Ducere ſolicitæ jucunda oblivia vitæ.
Nec refert quantilla tenent nos tecta; lateſcens
Tutiùs hìc Lare ſub parvo præcurro viarum
Tædia longarum, pelagique pericula paſſos;
Dum mihi depictos pandit revolubilis orbis
Terraſque tractuſque maris, disjunctaque longè
Saxa per & montes me raptat amabilis error.
Hìc quoque, quod fruſtra eſt alienis quærere terris,
Aërias tentare domos, cœlique meatus
Obſervare ſequaci animo datur, indice Chartâ.
Quòd ſi Naturæ cæcos penetrare receſſus,
Et rerum cauſas libet indagare latentes,
Quicquid jactat Arabs, Italuſve, aut decolor Indus,
Herbarumque Virens, & gemmarum Lucidus ordo,
Reptiliumque, aviumque, inſuetaque monſtra ferarum,
Hìc uno intuitu, innocuoque timore videntur.
O fortunatos nimium, ſua ſi bona nôrint,
Purior irriguis quos Iſis perluit undis,
Oxonidas, quos nulla ſuas terra invidet artes,
Queis totos, cæcis non ſponte exuta latebris,
Expandit Natura ſinus; victuſque labore
Ingenioque, Ashmole, tuo in compendia mundus
Mira redit, patiturque anguſto in limite claudi.
Hiſpalis, Eſcuriæque, ſuis ſacra mœnia Muſis,
Et Vaticani ſileat miracula Roma:
Bodleiana Domus caput altiùs inſerit aſtris,

Dives

Dives opum variarum, aliumque Helicona repandit,
Palantes ſocians Muſas, quâ ſcrinia libris
Evolvens fœta omnigenis ſtudioſa Juventus
Colloquio potitur veterum, & commercia linguæ
Multiplicis colit, in terris peregrina paternis
Undique componens, quæ mox depromere poſſit.

Sic crudas Bombyx telas induta ſuperbit;
At citò, deductum fuerit cùm textile filum,
In flores abit & fructus, ſylvaſque virentes;
Aut Musâ potior, fidos enarrat amores,
Fœmineâ in miras variabilis arte figuras.

BRITISH MUSEUM 3 AUG 71

ORATIO

HABITA IN

Theatro Sheldoniano

APUD

OXONIENSES

A

PETRO FRANCISCO COURAYER, S. T. P.

Quint. Id. Julii M DCC XXXIII.

CUM de veſtrâ in me Benevolentiâ, deque collato Doctoratûs Gradu gratias acturus, ad Vos è Galliis ſcriberem, V. D. nondum de meo in Angliam ſeceſſu cogitans, vix mihi unquam pollicitus fuiſſem aliquando videre Vos, Vos alloqui, atque hîc a Vobis haurire tum Doctrinæ, tum Moderationis, lectiones, quas ſemper in Theologis colui, nollemque unquam à ſe invicem mutuò divelli. Verùm quoniam aliter de meâ ſorte actum eſt, & adorandâ Divinæ Providentiæ diſpoſitione jam mihi contingit verſari inter Vos, Vobiſcum miſcere Colloquia, & tanquam unum è Veſtris, immeritum licèt, ſedere eâ in Academiâ, cujus Fama in omni Europâ, jam diu longè latéque ſparſa eſt, vix me cohibere poſſum, quin gratuler mihi de Adverſariorum meorum iniquitate & malevolentiâ, & Deo O. M. grati-

as ex corde agam, quòd ſævâ licèt tempeſtate jactatus, portum tandem invenerim, ubi dum alteram pro exilio Patriam Anglia mihi ſuppeditat, etiam Oxonia Veſtra Purpuram ſuam, ſuos & honores mihi conferre non eſt dedignata. Æquum erat de tot veſtris in me Meritis publicas referre gratias, V. D. & quanquam hoc officio jam olim, aliquâ ex parte, literis meis defunctus ſim, puderet me non citiùs eas vivâ Voce renovâſſe,

Si me Fata meis ſiviſſent ducere vitam
Auſpiciis, & ſponte meâ componere curas.

Sed quòd per fortuitos rerum eventus, quos nec præſcire, nec corrigere, in meâ poteſtate fuit, huc uſque non licuit, illud nunc cum uſurâ compenſare licèt, idque meæ fortunæ tribuo, quòd non alio ſucceſſu res de die in diem protracta ſit, niſi ut, in totius ferè Angliæ concurſu, tot grati animi mei teſtes haberem, quot habetis hujus magnificentiſſimæ Solennitatis & Spectatores & Admiratores; & publicè teſtatum facerem quot & quantæ mihi gratulandi cauſæ ſeſe mutuò offerunt. Non enim ſine intimo Animi ſenſu experior, quòd priſtinæ, & propè innatæ, Gallos inter & Anglos, Æmulationis, & quaſi Simultatis, obliti, me, non ut Gallum, non ut Æmulum, excepiſtis; ſed cooptâſtis ut Socium, ſublevâſtis ut Hoſpitem, coluiſtis ut Amicum, complexi eſtis ut Fratrem.

Gratulor itaque mihi, quòd eâ in Academiâ ſedeam, quæ, dum me tot, & tam inſignibus, Viris annumerat, me in partem Gloriæ eorum aſſumit; ut jam, Tenuitatis meæ velut oblitus, aliorum Meritis reſplendeam, cùm meis non poſſem. Gratulor mihi quòd, adjunctus tot omniginæ Eruditionis hominibus, ibi tot Magiſtros ferè reperiam, quot Academia fovet Alumnos, & Socios. Gratulor mihi, quòd eam in Societatem cooptatus ſim, in quâ ſine Licentiâ licet eſſe liberum, ſine Periculo veracem, ſine Præjudiciis doctum, ſine Superſtitione religioſum, ſine ſervitute Chriſtianum. Gratulor mihi, quòd eâ in Scholâ ſedeam, quæ tot inſignes Reipublicæ Magiſtratus, Legibus Defenſores, Principibus, Miniſtros, Eccleſiæ Paſtores, Chriſtianitati Aſſertores acerrimos miniſtravit. Gratulor, quòd eâ in Natione habitem, & eos inter Populos, qui, Jurium ſuorum ſimul & Officii ſui memores, obedientiam præſtant; dum ſervitutem odio habent; quique nunquam lubentiùs Principibus ſuis exhibent obſequium, quàm cùm Principes non tam exigere

illud, quàm mereri, amant. Gratulor mihi, quòd ſub eo Principe vivam, qui regere eligit magis quàm imperare; quique, ad optimorum Regum Exemplum, longè nobilius eſſe ducit Subditorum ſuorum & Libertatem defendere, & tueri, quàm opprimere. Gratulor mihi, quòd tantum debeam Munificentiſſimæ ſimul & Clementiſſimæ Reginæ; quæ quò doctior, eò magis Doctrinam; quò religioſior, eò magis Virtutem remuneratur & fovet; quò potentior, eò magis Beneficentiam æſtimat, &, quantum in ſe eſt, in omnes refundit.

Eæ totidem ſunt juſtiſſimæ mihi gratulandi Cauſæ, V. D. ſed quas animo revolvere non poſſum, quin me admoneant quantum, & Angliæ & Oxoniæ veſtræ, debeam, ſimulque quid mihi præſtandum ſit, ne Oxonienſi laureâ, quâ me, pro veſtrâ humanitate, exornâſtis, indignum me exhibeam. Ad tanti Muneris partes implendas tria potiſſimum mihi neceſſaria viſa ſunt; flagrans videlicet Veritatis Zelus, ſincerum Religionis Studium, Animuſque ad Pacem & Moderationem compoſitus, quo Theologus & Veritatem præferat omnibus, & Charitatem cum omnibus teneat.

Huc collimârunt omnia, quæ huc uſque edidi in lucem, ſcripta; & eo ſolo Nomine commendanda videntur, ſi quid in eis commendatione dignum. Cùm enim Anglicanarum Ordinationum Defenſionem in me ſuſcepiſſem, nullus unquàm dubitavi, quin pertinacia præjudicia undique Veritati Adverſarii opponerent, &, quod præjudiciis pejus eſt, Vim & Artes adhiberent, quibus opprimerent eum, quem nequirent confutare. Hæc metuenda mihi eſſe noveram, Auditores, &, ad tanti periculi aſpectum, plures forſan conflictum, declinâſſent, in quo nec vinci ſine dedecore, nec vincere ſine periculo, poſſent. Aggreſſus ſum tamen. Timorem in me ſuperavit Amor Veritatis; & licet, ſi fortunæ meæ & quieti conſulere voluiſſem, tutius eſſe noſſem tacere quàm ſcribere, puduit me tantæ puſillanimitatis, & ignaviæ. Pericula præſciveram, vidi impendentia, præſentia deſpexi, Patriam, Parentes, Amicos, &, quod unicuique pretioſius eſt, Famam ipſam neglexi præ Veritate; quia, cum Senecâ judicavi, neminem plus æſtimare virtutem, nemineim magis illi eſſe devotum, quàm qui boni Viri Famam perdere mallet, ne Conſcientiam perderet. Hoc primum Theologi Munus & Officium, ſed non unicum. Ut quid enim tantum pro Veritate zelum oſtentaret, niſi ſimul eum Religioni promo-

 vendae

vendae inſervire faciat; eò enim temporis infeliciter devenimus, quo, ſub pretioſo Libertatis nomine, quiſque ſibi licitum putat omnem Religionis ſenſum aut evellere, aut deridere. Sed quò Libertatis Nomen ſanctius eſt, eò periculoſior intemperans ejus Abuſus.

Dum quidam Servituti ſe tantum ſubducere velle profitentur, Confuſionem & Licentiam ubique diſſeminant. Religionem vellent abſque Miniſtris, Societatem ſine Præpoſit's, Leges ſine Obedientiâ, Regulas ſine Praxi. Auctoritas omnis pro Tyrannide, Diſciplina pro Servitute, Ceremoniæ & Uſus pro totidem Superſtitionibus æſtimantur. Liberum ſe non putat hoc hominum genus, niſi omnem Superiorum, & Legum, Auctoritatem abjiciant. Si quid ultra Legis Naturæ rudimenta perfectius & neceſſarium praeſcribunt Evangelica ſcripta, ea tanquam Politica aſtutorum hominum Commenta, continendis populis potius, quàm moribus informandis ficta, traducere non erubeſcunt. Antiquæ & purioris Eccleſiæ obſervantias, quæ quanquam nec ſint Virtus ipſa, nec ita eſſentiales ſint ut ſine ipſis Religioſum eſſe non liceat, tamen Religioni & Virtuti muniendae utiles ſunt, quaſi totidem Superſtitiones oblatrant; Religionis Naturalis Officia, quæ certè ſancta ſunt & juſta, ambitiosè non extollunt, niſi ut penitus elevent puriora Religionis Chriſtianæ ſupplementa, quorum Perfectionem & Æquitatem ne ipſi quidem Chriſtianitatis Adverſarii audent diffiteri.

Tandem, ut verbo rem concludam, omnia deſtruunt, nihil ſuperædificant; Religionem aut ſibi pro libidine fingunt, aut omnem æquè reſpuunt; Virtutem loquuntur, at omnia funditus Media Virtutis tollunt; alterius Vitæ fidem enervant, aut viam adeò dilatant, ut quiſque omnia ſibi indulgere licitum putet, modò ſine periculo, aut dedecore poſſit ſuis laxare frænum Cupiditatibus. Contra hanc immanem Vivendi & Docendi rationem mutum eſſe Theologum non licet; ſibique dictum æſtimare debet, quod olim Iſaiæ Dominus, *Clama, ne ceſſes, quaſi tubâ exalta Vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Quod ad Religionis tutamentum & Univerſitatis veſtræ decus jam nonnulli ex vobis gloriosè & abundè præſtiterint, id gratulor Vobis & Academiæ, V.D. &, tanquam in partem Gloriæ veſtræ aſſumptum, dum me in Socium cooptâſtis, ſinite me iterum atque iterum hortari Vos novis conatibus in dies tantum opus conſummare,

mare, novoſque priſtinis addere triumphos, quibus dum Religionis Chriſtianæ res promovebitis, Vos ipſos & Academiam noſtram Poſteritati commendabitis, & Orbi Chriſtiano.

Nihil magis certè ad Theologi Officium ſimul & Commendationem pertinet, quàm ſincerum illud Religionis ſtudium: Sed, quod adjunctum ſimul habere debet animum ad Pacem & Moderationem compoſitum; ne ſcilicet ex intemperanti zelo Schiſma exoriatur, &, dum quiſque vult aut Fidem imperare, aut in rebus non neceſſariis jugum imponere, Societas in tot partes deſiliat, quot erunt homines & ſententiæ. Non ita ſanè *didicimus Chriſtum*, neque hoc à patribus noſtris edocti ſumus.

Ante ea quippe calamitoſa tempora, quibus ſub Corruptione & Ignorantiâ Religio velut oppreſſa jacere cœpit, nihil priùs in Votis habuerunt Chriſtiani quàm Charitatem inter omnes fovere, & ſi quos fortè per infirmitatem aut non omnia intelligere, aut à vero aliquantulum deviare contingeret, eos aut amicâ perſuaſione revocare, aut Chriſtianâ Manſuetudine tolerare, ſui eſſe officii judicabant. Noverant enim Religionem prædicari debere, non juberi; nec Evangelii Diſpenſatoribus commiſſum eſſe cogere homines ad Veritatem, ſed adducere Carceres, Exilia, Supplicia, Mortemque non convincendis hominibus, ſed ſceleribus expiandis, leges deputaverant. Ferrum & Flamma Veritati propagandæ nunquam opportuna viſa ſunt, niſi poſtquàm Evangelii prædicatores, propter adulteratam figmentorum humanorum admixtione Veritatem, ſui Miniſterii efficaciæ diffidere cœperunt. Suæ virtutis conſcia Veritas non vim exigit, ſed mentem bene affectam & attentam. Quod Veritas non poteſt, Vis nunquam efficiet; aut ſi quid poſſit, ad id tantum valet, ut hominem faciat non Fidelem, ſed Hypocritam; non Religioſum, ſed Impium.

Hanc à primævis Eccleſiæ Chriſtianæ Doctoribus, Tertulliano ſcilicet, Lactantio, Athanaſio, & omnibus aliis traditam Doctrinam, ſed à poſtremis penitus deſertam, vel etiam ad Religionis dedecus impugnatam, cum gaudio in Academiâ veſtrâ reviviſcentem & videmus & gratulamur. Nullibi enim melius, quàm in Angliâ, quiſque diſcere poteſt eam animi Moderationem; eamque præ cæteris ego ipſe expertus ſum, quem, vel etiam in nonnullis diſſidentem, non modò non averſati eſtis, ſed & benigne

nignè excepiſtis; quid dico, excepiſtis? imo & coluiſtis, &, quantum in vobis erat, omni benevolentiâ & humanitate cumulâſtis. Utinam ad illud Exemplum ſaperent è noſtris, qui tam turpiter cæco ſuo zelo indulgent, ut *obſequium ſe putent præſtare Deo*, dum aut diris devovent eos, qui vel minimè ab eis diſſentiunt, aut eos inhumaniter vexant. Non diu duraret luctuoſum illud ſchiſma, quod Eccleſiam Chriſti tanto animarum diſpendio dilacerat; &, quod tam ardentibus votis ſæpius precati ſumus, *cito fieret unum Ovile & unus Paſtor.*

Ad me certè quod attinet, V. D. conabor pro viribus meis in hac parte Veſtigiis veſtris inſiſtere; & quanquam ex animo optem, ut omnes in Chriſto eadem ſentiamus, nec ulla ſit inter nos aut Animorum aut Opinionum diſſenſio; quia tamen vix unquam id ſperari poteſt, nihil melius ad propoſitum mihi præſcribere poſſum cum Auguſtino, quàm ut, modò ſit in Neceſſariis Unitas, ſit quoque in non Neceſſariis Libertas, & in omnibus Charitas. Nemo enim, juxta Apoſtolum, judicare debet alienum ſervum. *Domino ſuo ſtat aut cadit*; & *quis ego ſum qui judicem fratrem meum?*

Absit hoc à me, Auditores, &, ſiquidem humanum eſt errare, falli, decipi, hoc à nobis exigit Charitas, quæ *benigna & patiens eſt*, quæque, juxta Apoſtolum, *non æmulatur, non inflatur, non agit ſuperbè*, ut *alter alterius onera portantes adimpleamus Legem Chriſti*, &, ad Veritatis zelum & amorem Virtutis, Pacis & Concordiæ ſtudium adjungamus.

Jam quid mihi ſupereſt, V. D. niſi ut, poſtquam iterum atque iterum gratias egerim de tot veſtris in me Meritis, orem Vos atque obteſter, ne unquam deſinatis eo me amore proſequi quo cœpiſtis, me conſiliis veſtris & monitis dirigere, Deumque O. M. precari, ut aut ſemper ſincerè veritatem inquiram, aut, ſi unquam errare contingat, errores fateri non erubeſcam, nec alio fine Doctoralem lauream, quâ me ornâſtis, adeptus ſim, niſi ut me exhibeam ſimul Virtutis & Pacis Diſcipulum, & Doctorem Veritatis?

BRITISH MUSEUM

FINIS.

ERRATA.

Pag. 6. *ver.* 8, 9. *leg.* Athenæ——Moribus;
Ibid. *ver.* 20. *leg.* quantis;
Pag. 7. *ver.* 20. *leg.* populi, fallit
8. *ver.* 15. *pro* Quod *leg.* Quid
Ibid. *ver.* 16. *leg.* latentes?
Ibid. *ver.* 23. *pro* quos *leg.* queis